

extensio non admittitur l. at si quis, vers. divus autem Marcus, ff. de relig. & sumpt. funer. Carpz. part. 1. quæst. 9. num. 13; atque adeo cum publicanus non esset, nec de vectigalium pecunia ageretur, famulum exhibere non tenebatur, & licet in dict. §. restituendi, vers. inde quitur. dicatur quod est absurdum meliorem esse publicanorum causam, quam cæterorum, non inde sequitur quod privatus teneatur familiam exhibere, quia in d. vers. consultus non tractat de familia exhibenda, sed an publicanus convenire possit edito de vi honorum raptorum: & dum respondit quod sic, subjungit absurdum esse, quod publicanorum melior sit causa, quam cæterorum: quod est valde diversum. Neque ex leg. 1. tit. 16. part. 3. & leg. 4. tit. 6. lib. 3. recopiat. ad similem exhibitionem tenebatur, tum quia ista jura expressè loquuntur de Magistratibus, tum etiam quia mercatorem obtinere officium publicum improprie intelligi debet, & hodie non est in usu, ut Matiençus notat dict. gloss. 7. Et adhuc si teneretur, non ad judicium criminale, sed ad civile, vel ut plurimum ad pœnam pecuniariam parti applicandam, ut Ulpianus verba edicti referendo, ait in dicta lege prima, in princip. ibi: in duplum, aut si post annum agatur in simplum judicium dabo. Quod in familia Magistratum pariter cautum est, de quo plura in secunda parte controvers. 1. num. 47. cum sequentibus. Et hanc pœnam in hoc judicio nemo persequatur, quia Franciscus Centavi non accusavit, & sic causa ex merito officio prosequuta fuit.

39 Ad sextom dicebatur, quod suspicio desumpta ex infamata natione valde remota est, ab ipso crimine, quæ exclusâ remanebat per probationem à reo factam de bona fama in specie de se, quæ plurimum juvat ad excludendam, vel mitigandam pœnam in his criminibus expensionis, vel abrasionis numerorum, ut pluribus probant Tibertius Decianus dict. libro 7. tract. criminal. cap. 26. num. 6. Vincentius de Franquius dict. decisio. 401. numero 3. cum sequentibus, Farinacius dicta questione 115. numero 138. Guazzinus dict. defen. 4. capite 9. num. 6. Giurba dict. consil. 85. num. 26. Caballus d. cas. 199. n. 11.

41 Et tandem quia facti series nihil contra Cæsarem conclubeat, deficiente fundamento totius argumenti, nempe

quod ipse aureos diminutos Amanuensii tradidisset, quod erat probandum, ut teneretur pœna expendentis, vel diminuentis, & sic cuncta considerata Amanuensiam, non Cæsarem afficiebant, dictum remanet.

His itaque perpensis ad defensionem rei, Aula non omnino indicia despexit, nisi adesset incertitudo respectu corporis delicti; quia ex actis non probabatur identitas numerorum obrasorum: pecunia enim est ex rebus quæ functionem recipiunt in genere suo, ut docet Consultus in leg. 2. §. metui, Digest. si cert. petat. ubi communiter Doctores, aliis relatis Dominus Valençuela consil. 30. num. 30. Nummi enim inter se assimilantur, ita ut nemo de identitate concludenter deponere possit, nisi casu quo sacculo obsignato traduntur, Textus in leg. 1. §. si pecunia, 21. ff. deposit. & de jure nostro leg. 5. titulo 3. parte 5. Dominus Gregorius Lopez ibidem gloss. 9. & pluribus relatis Dominus Valençuela consil. 64. numero 6. cum sequentibus. Et cum nummi, de quibus agitur per tot manus divagassent antequam apprehendi possent, absque eo quod sacculo obsignato custodirentur, solum certa erat incertitudo nummorum.


Et licet negari non possit, quod crimen erat difficilis probationis ut diximus numero 11. cum sequentibus, tamen hujusmodi crimina requirunt probationem concludentem in genere suo, hoc est præsumptivam, vel per testes minus idoneos, ut pluribus probat Carpzov. parte tertia, questione 114. numero 35. cum sequentibus, sed debet ita persuadere intellectum iudicis, ut rem aliter se habere non posse credat, & sic tradit regulam Giurba consil. 68. numero 3. cum sequentibus, sed quia de hoc passim Doctores tractant, & plurima prudentis iudicis arbitrio relinquuntur, non immoror. In hac enim specie nullum indicium proximum, vel concludens probatum fuit, & sic Aula reum absolvit, qui è carcere liberatus, miserè creditorum mole gravatus, decoxit.

Sed in causa Joannis Federici Velasquez, apud quem reperta fuerunt circuncisiones aureorum, forficulæ, & alia instrumenta rondendi nummos aureos, decretum de torquendo impostum fuit, & cum negasset, quia miles erat, extra ordinem plexus ad arcem Afram remissus

missus fuit per sexennium. Sed ante implementum temporis ad hanc urbem remeavit, & jam non tendendæ, sed eundem monetæ aureæ crimen aggressus, plures cuneos signatorios confecerat, & in domo quam ipse inhabitabat torcular magnum, ut sine strepitu nummos cuderet. Iterum tortus negavit, & ad tresmes relegatus fuit Idem observatum fuit in causa cujusdam mercatoris librorum, qui Gallus natione erat. In posse ipsius apprehensæ fuerant circuncisiones aureæ monetæ, atque argentæ, cum forficulis ad id præparatis; quæstioni suppositus negavit, sed quia concludenter convictus fuit de usu, flagellis castus in exilium à Regno condemnatus fuit.

47 De recudentibus moneram æream aliqui dubitant an flammaram pœnam incurrant, & ratio dubitandi est; nam Imperator in lege secunda, Codice de falsa moneta de flatoribus tantum loquitur; & cum isti monetam falsam non conficiant, sed jam factam jussu Principis, repercutiant, micitius puniendos esse aliqui autumant; sed hæc opinio procedere possit si apud nos pecuniæ falsitas quoad formam non esset punibilis eadem pœna, ac si esset circa materiam, ut voluit Carpzov. dicta questione quadragesima tertia, per totam, quia materia numerum reperculsorum probata est per Principem: Sed quia de jure Hispano falsificantes monetam ratione formæ, eadem pœna puniuntur; ut latius probavi controvers. 45. numero quinquagesimo, clarè sequitur quod reperculsores pœna flammaram tenentur. Nam dubitari non potest, quod Princeps quando novo stigmate, vel sigillo pecuniam repercuti jubet, novam formam tribuit, quæ pendet ex sigillatione (vel ut pretium augeatur, vel adulterina à probata secernatur) ut probavi dicta controversia quadragesima quinta, numero quadragesimo primo. Et quando hæc nova sigillatio falsò per privatos imponitur, nova forma datur & jura regalia usurpantur, atque majestas læditur. Neque obstat quod parvum præjudicium sequatur, quia, ut dixi controversia quadragesima quarta, numero 20. in materia falsæ monetæ non datur parvitas materiæ, & præjudicium maximum est quia valor legalis augeatur, & sic pœna acerba debetur. Sed hæc raro contingunt, utinam numquam; D. D. Laur. Mathau, de Re Crim. Pars I.

nam jactura Reipublicæ ex his reperculsionibus ingens est, ut experientia demonstrat.



## CONTROVERSIA XLVIII.

De duobus hermaphroditis matrimonio copulatis, simulque in utero gestantibus, ex reciproco usu utriusque sexus, & an hoc imputari possit in crimen.

## SUMMARIUM

- 1 Facta species admiranda refertur.
- 2 Hermaphroditum raro utroque sexu perfecti.
- 3 Hermaphroditum utroque sexu perfecti possibiles sunt, & saepe videntur.
- 4 Tres hermaphroditus utramque venerem expertus fuit.
- 5 Jupiter mas, & femina fingitur, qui gravidus factus Palladem peperit.
- 6 Hermaphroditorum differentia proponuntur.
- 7 Hermaphroditus vir, qualis sit.
- 8 Hermaphroditus femina, ex quibus dignoscatur.
- 9 Hermaphroditus neutrius naturæ, qui in utroque sexu defectuosus reperitur.
- 10 Hermaphroditus perfectus, qui utroque sexu pollet.
- 11 Hermaphroditus ejus sexus reputatur, qui in eo prævalet.
- 12 Hermaphroditus qui utriusque sexus pudenda perfecta obtinet, eligere debet sexum.
- 13 Hermaphroditus Monachus gravidus effectus.
- 14 Hermaphroditum irregularis sunt, & in Monasteriis non sunt admittendi.
- 15 Miles Ungarus qui in castris Martis & Veneris se virum ostenderit, femina detectus.
- 16 Alius miles hermaphroditus pragnans, ibid.
- 17 Hermaphroditus viro nupius qui filios peperit, ancillas comprimens, & in eis generans.
- 18 Hermaphroditus Valentie visus, qui habitu femineo virginem stupravit, & factus sartor puellam peperit.

- 18 Proverbum in factores enatum ex hac historia.
- 19 Hermaphroditus capaces sunt contrahendi matrimonium, secundum sexum incallescens.
- 20 Hermaphroditus in utroque sexu perfecti eligere sexum debent, & jurare alio non abuti.
- 21 Hermaphroditus, qui eligit sexum, si alio abutatur pena capitali an plerendum sit.
- 22 Lex similem penam imponens à pluribus memoratur, sed à nullo adducitur.
- 23 Hermaphroditus nulla lege juris civilis coercentur, ex usu utriusque sexus.
- 24 Hermaphroditos Romani necare solebant, & quare.
- 25 Jurisconsultorum tempore acerbitas hac mitigata fuit.
- 26 Constantinus eandem acerbitatem renovavit.
- 27 Lex Romuli cautum fuit, monstrosos partus necandos.
- 28 Canonum jure nulla pena infligitur hermaphroditis, utroque sexu luxuriantem.
- 29 Argumentum ex incongruitate resultante ob exercitium utriusque muneris.
- 30 Et ex incompatibilitate conjugati, qui beneficia Ecclesiastica retinere procurant.
- 31 Argumenta hac statuere penam capitalem non valent.
- 32 Difficile est, ut unus homo duorum vicem sustineat, sed non impossibile.
- 33 Absurdum est si promiscuis actibus rerum turbentur officia, sed non crimen.
- 34 Inculpabile judicandum, quod necessitas infert.
- 35 Utilitatis causa à communi regula discedere possumus.
- 36 Ratione diversa potest quis pati, & agere.
- 37 Contraria cum diversis non sunt confundenda.
- 38 Natura dispensante non sunt incompatibilia in hermaphroditis agere, & pati.
- 39 Jura natura nullo juri positivo subsunt.
- 40 Hermaphroditus altero sexu abutente post electionem, an perjurii crimen an contra naturam peccatum committat?
- 41 Hermaphroditus jurans in electione se altero sexu non usurum, si utatur penam perjurii incurrit.
- 42 Pena perjurii extraordinaria est.
- 43 Canonicum jus penam capitalem nunquam irrogat.
- 44 Doctores tenentes pena capitali teneri hermaphroditum ex abusu alterius sexus decipiantur.
- 45 Hermaphroditus in utroque sexu potens, non peccat contra naturam, imò secundum eam.
- 46 Sodomia crimen patitur, quando sexus perdit locum.
- 47 Hermaphroditus in promiscuo usu Veneris, libidinem explent per vasa naturalia ad generationem ordinata.
- 48 Text. in leg. foedissimas, Cod. ad legem Juliam de adulter. explicatur.
- 49 Hermaphroditus imperfectus, si Venerem exerceat per sexum inutilem, lato modo peccat contra naturam, & extra ordinem plebii potest.
- 50 Coitus ex quo generatio sequi potest, jure civili punibilis non est, nisi concurrente circumstantia per quam delictum fiat.
- 51 Doctores de delictis carnis ex professo scribentes nihil de hermaphroditis, utroque sexu lasciviente dixerunt.
- 52 Matrimonium à duobus hermaphroditis contractum ea lege, ut usus utriusque sexus promiscuus fiat, ardua questio.
- 53 Pater Martinus Perez ab Uanaa Societatis Jesu, Valentinus dubitanter negat.
- 54 Matrimonium est maris ac femina conjunctio.
- 55 Matrimonium non ex concubitu fit, sed ex consensu.
- 56 Aptitudo coeundi requisita ad matrimonium, respicit contrahendi potestatem, non causam efficientem contractus.
- 57 Corporum materialis conjunctio, nihil habet præter turpitudinem, homine indignam.
- 58 Jure civili attentio turpitudinis ex coitu resultans, licita sit, sobolis procreanda gratia.
- 59 Jus Canonicum eisdem verbis definit

- matrimonium.
- 60 Et secundum ipsum, matrimonium efficit consensus, non concubitus.
- 61 Matrimonium inter fideles initum, ex contractu elevatur ad sacramentum.
- 62 Conjuges virtute matrimonii sunt duo in carne una.
- 63 Conjuges ex traditione corporum adquirunt reciprocam potestatem ad opus generationis.
- Finis essentialis matrimonii consistit in hac mutua traditione corporum, ibidem.
- 64 Finis accidentalis, licet proprius, & naturalis, est filiorum procreatio, & concupiscentiæ remedium.
- 65 Matrimonium initum ex aliquo sine de predictis licet contrahitur.
- 66 Fines isti concurrere possunt in matrimonio contracto per duos hermaphroditos.
- 67 Hermaphroditus, filii sunt Adami, & creatura rationales.
- 68 Hermaphroditus, quoad primum & secundum finem pares sunt cum ceteris hominibus; quo ad tertium dispares, & quare.
- 69 Hermaphroditus matrimonio copulati, si solum uno sexu uti possent, exponerentur manifesto periculo incontinentiæ.
- 70 Conjuges ad invicem tenentur subveniri dum unus cognoscit alterum subijci periculo incontinentiæ.
- 71 Conjuges stimulis Veneris concitatus, licet utitur conjuge, ex solo sine vitandi periculi incontinentiæ.
- 72 Periculum incontinentiæ inter conjuges hermaphroditos, sermè necessarium.
- 73 Contractus inter duos hermaphroditos, non videtur contra naturam matrimonii.
- 74 Hermaphroditus in utroque sexu potens, si primo contraxit, ut vir, & viduus fiat, nubens postea viro sub specie femina, valide contrahit.
- 75 Nullo jure irritatur simile matrimonium.
- 76 Seclusa jussione Prælati, aut jurisjurandi vinculo, electio hermaphroditorum non tollit facultatem à natura concessam.
- 77 Excessus quilibet inter conjuges circa res Veneras, culpam venialem non egreditur, dum ordinetur ad finem naturalem sobolis.
- 78 Inter conjuges omnia casta dicuntur, dum ordinentur ad bonum sobolis.
- 79 Hermaphroditus adulterium committit si post contractum matrimonium altero sexu utatur cum extranea persona.
- 80 Adulterium de jure Canonico, est omnis violatio matrimonii.
- 81 Traditio corporis ab hermaphroditis contrahente, comprehendit utrumque sexum.
- 82 Idem subjectum habere potest multiplicata genitalia ejusdem sexus.
- 83 Mulier habens duplicem vulvam, si nubat, utraque poterit uti ad maritales concubitus.
- 84 Monstruositas horum concubitorum inter monstruosa subjecta versatur, ipsa natura lasciviente.
- 85 Natura codonandi sunt similis excessus, quia præter rerum ordinem ipsa procedit.
- 86 Turpia inter conjuges, casta dicuntur propter bonum prolis.
- 87 Hermaphroditorum similis commixtio crimen non est, neque peccatum videtur, seclusa jussione Prælati, & jurisjurando.

**P**UBLICE ferebatur per hanc Regiam Urbem anno 1663, quod in uno ex oppidis Regni duo hermaphroditus nati fuerent, quorum unus educatus fuit sub habitu, & specie viri; alius vero sub habitu, & specie feminae. Ille, five scienter, five ignoranter alterutrum conditionem, matrimonium in facie Ecclesie contraxerat, minime detecta illa qualitate Parocho, aut Prælati Diocesano. Ex promiscuo usu Veneris, ambo eodem tempore in utero gestantes inventi fuerunt. Qui sub specie, & habitu viri contraxerat, prudenter, ut scandalum, atque erubescens vitaret, ad hanc Urbem se contulit, ubi sumpto habitu femineo, puerpera factus fuit. Ducebatur inter viros doctissimos quos Aula fovet, an licitus esset promiscuus usus corporum inter similes conjuges. Quidam ex Magnatibus à me quærebant, an hoc crimen te-

li 4 putan

putandum, & qua poena puniendum?

Ad decisionem hujus arduæ quæstionis, supponebam; quod licet juxta doctrinam Aristotelis libro quarto, de gener. animal. capite quarto, hermaphroditum nunquam in utroque sexu perfectè potentes sunt; nam, ut ipse ait, quibus gemina habere genitalia accidit, alterum maris, alterum femine, semper alterum ratum, alterum irritum redditur. Sequitur hanc doctrinam Pontanus, libro primo de rebus calesib. capite sexto, ibi: *Natura enim in hominum omnino genere marem discernit à femina, itaque in eodem simul corpore uterque sexus suo in gradu nequis consistere, & aliquibus Medicis relatis, Paulus Zacchias in quæst. medico-legal. tomo primo, libro septimo, quæstione octava, numero vigesimo octavo. Et licet numero vigesimo nono, fateatur non esse impossibile dari hermaphroditum tantæ perfectionis in utroque sexu, ut agere, & pari possit: quod Albertus Magnus, & alii ab eo relati tenuerunt, tamen numero trigesimo, concludit impossibile esse dari hermaphroditum, qui in utroque sexu adeo perfectus existeret, ut per utrumque generare possit, in se nempè, & in alio.*

Quod naturali rationi repugnat: nam natura semper intendit producere perfectiora; & cum in negabile sit, quod sapius producit hermaphoditos, si non posset producere hermaphroditum simpliciter perfectum in utroque sexu, deficeret virtus illustrior naturæ, per quam semper intendit producere perfectiora, ut de facto sæpius producit. Et ideo Sanctus Augustinus, doctrina & ingenio felicior Aristotele, libro decimo sexto de civitate Dei, capite octavo, contrarium tenuit dicens. *Quibusdam utriusque sexus esse naturam, & dexteram mammam virilem, sinistram muliebrem, vicibusque alternis coeundo, & gignere, & parere.* Idem tenuit Sanctus Ildorus, libro undecimo, capite tertio, Avicenna libro vigesimo, sen. tractatu secundo, capite quadragésimo tertio, in hanc sententiam inclinat, quam tenuerunt Liebaultrius, Bauhinus, Aldrovandus, & alii plures tam ex Jurisconsultis, quam ex Medicis, & Philosophis, rationibusque & experimentis confirmatur.

Nam si Mythologica tradita scrutemur, sub quorum velamine documenta superioris sapientie antiqui Philosophi

tradebant, invenimus Tiresiam, qui utroque sexu pollebat; adeo ut arbiter designatus fuisset à Jove, & Junone, ad definiendam quæstionem inter eos sufficientiam de intensiore delectatione in Veneris, tanquam expertus utriusque generis fortem, ut cum Fulgentio lib. 2. Mytholog. Ovidio lib. 3. Metamorphos. & Luciano in dialog. Menip. & Tires. tradidit Tiraquel. in leg. 9. connub. num. 115. Et quamvis Poëta dixerint Tiresiam ex percussione colubrum coeuntiam, jam in feminam, jam in virum transformari, ut notat Bauhinus tract. de hermaphrodit. lib. 1. cap. 36. hæc fabulosa sunt, sub historia Tiresiæ hermaphroditæ conficta, ut Natal. Comes & ceteri Mythologi fateantur. Ut cum Sabino libro 3. interpret. fabul. Ovidii tenuit idem Bauhinus dict. cap. 36. ad fin. vers. multa tetra. Quin & ipsum Jovem hermaphroditum tradiderunt Poëta, ut colligitur ex Orphei hymno, ibi:

*Jupiter & mas est, & nescia femina mortis.*

De quo, postquam plurimos filios genuisset referunt quod mox gravidus factus Palladem armatam peperit, ut narrat Natal. Comes libro 2. Mythol. cap. 1. Et licet hæc referri possent ad ea quæ verè de natura divina dicuntur, nempè quod perfectionem utriusque sexus comprehendit; non ideo negari potest, quod antiqui illi Philosophi, dum has fabulas componebant, crediderunt in eodem subjecto possibilem concursum perfectionis utriusque sexus.

Sed ut jam ad solidiora perveniamus, innegabilis est differentia communiter tradita, per quam hermaphroditum in quatuor species dividuntur. Prima eorum qui virilem sexum perfectum, & potentem habent, in perineo autem excisam rimam, in formam femineæ genitalis formatam; quæ nec feminalis humoris, nec utinariæ capax est, quia ad interiora non penetrat. Isti imperfecti hermaphroditum sunt, cum alterum genitale inutile obtineant, & inter mares connumerentur: de quibus Ulpianus in leg. sed est quæsitum 6. §. hermaphroditus, ff. de lib. & post. ibi: *si in eo virilia prævalent posthumum heredem instituerit poterit.* Secunda species est eorum qui genitale femineum perfectum, & potens habent; feminali, menstruoque fluxu manans, & super os pectinis membri virilis imaginem cutaneam, per quam neque

que urinam, neque spermaticum humorem expellunt; & sæpius seroto testibusque carent: qui patiter imperfecti hermaphroditum sunt, & inter feminas connumerantur, quia sexus femineus in eis prævaler, ut ait idem Ulpian. in l. queritur 10. ff. de stat. hom. ibi: *& magis puro ejus sexus estimandum, qui in eo prævaler, & Paulus in leg. repetundarum 15. ff. de testib. ibi: qualitas sexus incalescentis ostendit.* Tertia species est eorum, qui utriusque sexus expressam habeant imaginem, utramque tamen adverso situ positam, vel defectuosa formatione paratam, inefficacem ad generationem, feminisque profusionem, qui neque viri, neque femineæ sunt, sed inter Spadones connumerari debent. De quibus Modestinus in leg. 2. §. illud, ff. de adopt. ibi: *qui generare non possunt, quales sunt spadones.* Quarta denique eorum, qui in utroque sexu perfecti, & potentes sunt marisque, & femineæ potenter munera obeunt, qui utriusque genitalia omnibus numeris ad generationem necessariis completa, atque perfecta habent, de quibus Glossa in cap. si teste, 3. §. hermaphroditus, verb. ad testimonium, 4. quæst. 2. & 3. Tradunt hanc differentiam Baldus conf. 237. lib. 3. Cæl. Rodigin. l. 15. antiquar. lect. c. 10. ad fin. Ludovic. Bonaciolus tract. de part. form. cap. 9. Pier. Valer. l. 18. Hierogl. Dominicus Terellus l. 4. gener. animal. cap. 4. Hier. Montuus lib. 1. theoric. cap. 6. Parmenides lib. 1. de natur. Jacob. Ruffin. lib. 5. de part. cap. 3. Pireus de monstr. l. 24. c. 4. Liebault. l. 1. origin. cap. 3. Bauhinus d. lib. 1. c. 4. Ulises Aldrovandus tract. de monstr. cap. 1. de homine, pag. 41. Alphonfus Carrança de part. cap. 17. num. 67. Ildephonf. Perez de Lara, in compend. vita homin. cap. 11. n. 19. Torreblanca de magia lib. 2. cap. 17. à n. 10. sed clarius de jur. spirit. lib. 5. cap. 8. n. 6. cum seqq. Neque hanc differentiam negare potuit Zacchias d. quæst. 8. n. 6. vers. utrumque: quam expressus tradiderat lib. 3. tit. 2. quæst. 9. n. 2. Et sic licet contrariam sententiam tenuerit, hujus evidentiæ filere ausus non fuit.

Quæ amplius confirmantur ex eo quod in illa quæstione de hermaphroditis frequenter suscitata, an scilicet inter viros, vel feminas connumerandi sint? ad Textum in d. leg. queritur 10. ff. de stat. hom. leg. repetundarum, in fin. ff. de

testib. leg. sed & si quæsitum 6. §. hermaphroditus, ff. de lib. & post. dict. cap. si teste 3. §. hermaphroditus, 4. quæst. 2. & 3. & de nostro Hispano jure in leg. 10. tit. 1. part. 6. per quæ jura ejus sexus censuebantur, in quo prævaluerint, si neutro incalescant, à peritis inspiciendi sunt, quia Medici signa nota habent ex quibus dignoscantur, ut docent Bauhinus dict. cap. 4. & Zacchias dict. cap. 8. num. 16. & 17. Quando genitalia utriusque sexus omnibus numeris absoluta & perfecta inspiciuntur, eorum dictis, vel electioni standum est, ut probant Glossa, in dicto capite si teste, §. hermaphroditus, verb. ad testimonium; Baldus in dicta leg. queritur, in 2. add. & dict. conf. 237. n. 5. Hostiens. in sum. Rub. de testib. num. 2. vers. quid de hermaphroditis, Corrad. in pract. §. 2. de offic. in caus. civil. titulo de testib. verb. personas testium, verb. mulier, & hermaphroditus, numero 75. aliis relatis Farinacius quæstione 59. n. 58. Carrança dict. capite 17. num. 68. Larra dict. cap. 11. num. 20. Torreblanca de magia dict. capite 17. numero 10. & de jur. spirit. dict. capite 9. numero 12. cum seqq. Hentiquez in sum. libro 14. capite 8. numero 6. Ugolinus de irregular. cap. 48. §. 1. numero 3. Gutierrez de matrimon. cap. 11. num. 1. Thomas Sanchez eodem tract. lib. 7. disput. 106. n. 4. Bonacin. eodem tract. quæst. 5. punct. 13. num. 26. Augustin. Barbosa in cap. qui sedem, n. 5. de frig. & malefic. Castr. Palao in oper. moral. lib. 5. disp. 4. de sponsal. punct. 14. §. 5. n. 5. Aggidius Trullench. de sacram. l. 7. c. 9. dub. 1. n. 35. cum seqq. Martinus Perez de matrim. disput. 37. sect. 13. num. 2. Pier. Valer. dict. libro 18. hieroglyph. Terellus dict. cap. 4. Liebaultius dict. cap. 3. Bauhin. d. cap. 4. vers. At si par sit, Aldrovand. dict. pag. 41. ad fin. Ergo Theologi, Canonistæ, Legum periti, Medici, & Philosophi, expertum habent quod hermaphroditum reperitur in utroque sexu potentes æqualiter, quod necessarium est, ut eis electio tribuatur. In vanum enim laborassent, si chimericum esset, similes hermaphroditos reperiri.

Ita namque, experientia monstrante, in omni ætate visi sunt, qui demonstrativè sententiam nostram comprobant. De Monacho, qui anno millesimo quadringentesimo septuagesimo octavo, Regnante in Gallia Ludovico XI. repertus fuit in utero gestare, facti

scribunt Robertus Gaguinus libro 10. annal. Marcell. Donat. de mirab. histor. medic. libro 6. capite 2. Bauhin. dict. lib. 1. de hermaphrod. cap. 33. Aldrovandus de monstr. cap. 5. pag. 516. Nec hoc mirum est, com occultando hanc qualitatem, admitti potuit ad monachatum, sicut de aliquibus feminis quæ simulato sexu admittis antiquitus legimus, in libro de vir. Patr. licet ea detecta, admittendus non esset, tanquam incapax monachatus neque ad Clericatum tanquam irregularis; ob infamiam, vel corporis defectum. Sic tenent Henriquez de irregul. lib. 4. cap. 8. num. 6. Navarr. conf. 8. num. 3. de exat. & qual. & conf. 47. num. 3. de regul. Thomas Sanchez de matrim. dict. lib. 7. disput. 106. num. 3. & lib. 5. decal. cap. 4. n. 41. Filiuc. de benefic. cap. 5. n. 3. Lezana (qui bene distinguit) in summ. quest. regul. tom. 1. cap. 2. num. 20. Suarez tom. 5. in 3. part. disputatione 51. quest. 2. n. 1. aliis relatis Tambur. de jur. Abbat. tom. 1. disp. 5. quest. 21. num. 41. & tom. 3. disp. 6. quest. 3. num. 22. & 23. Lara dict. 15 cap. 11. n. 51. De milite Ungaro, qui in Castris Martis & Veneris se virum taxius ostenderat, anno 1600. vel circiter in ipso exercitu Ungaro femina etiam detectus fuit, & factus puerpera, mirantibus cunctis commilitonibus, refert Kerchman. in systemat. Physico lib. 5. cap. 3. & eo relato Bauhin. dict. lib. 1. cap. 33. Qui ibidem de Daniele Burckammer Germano refert, quod anno 1601. die 26. Maii, dum militaret sub vexillo D. Buchardi Leimans, Piadenæ, in Italia, cum vesperi ad somnum se composuisset, uxori (quæ ante annos septem legitimo matrimonio sibi iunxerat) conquestus de ventris dolore, intra horæ spatium, puellam peperit, quam in Belgio ex Hispano milite conceperat, cum quo semel coisse falsus fuit. Er quod magis est, Hieronymus Montius libr. 1. theor. cap. 6. refert se novisse hermaphroditum, qui viro nuptus, feminæ naturæ credebatur, filiosque & filias peperit; qui nihilominus, ancillas comprimere, & in eis generare solebat; quod etiam tradunt, Bauhinus dict. lib. 1. cap. 35. circa finem, & Aldrovandus dicta pag. 41. lit. E; cujus historia continet omnes circumstantias requisitas ad comprobationem nostræ conclusionis: licet primum exemplum etiam habere eas videatur: in secundo

pariter clarè dicitur se virum in castris Veneris ostendisse: & quanquam in tercio dicat Bauhinus, per septem annos militem illum Germanum, non potuisse cum uxore congressi, subiungit tamen, quod puella nata lac fugere non potuit ex mamilla partis, qua genitalia virilia erant, quod est signum virilitatis, ut Divus Augustinus norat; & quod per genitale masculinum urinam reddebat, signum pariter perfectæ organizationis. Quæ omnia per publicos Tabelliones in actis consignata refert.

Et ego novi Valentie anno, ni fallor, 1640. hermaphroditum, qui habitu femineo educatus, inter famulas Don Petri de Valda Equestris Ordinis Divi Jacobi, atque Curatoris majoris illius Regni receptus, unam ex illis stupravit. De ejus querela captus fuit, & à peritis judicialiter inspectus. Ab uno ex eis, qui cognominabatur Castro, & erat peritissimus Chirurgus, & audiui habere vulvam femineam modo naturali formatam, à qua quoties Veneris stimulis utebatur, emittebat membrum virile mediocris magnitudinis, alacriter erectum, atque idoneum ad stuprum committendum. Famula stuprata causam accusationis deseruit: & cum periti pronunciasent in utroque sexu potentem, electio ei concessa fuit; sed per inscitiam, vel oblivionem, absque iurjurando, neque aliqua injunctioe non utendi alio sexu, è carcere liberatus. Elegit vitilem, & eo habitu assumpto, officioque factoris applicatus, per duos annos in ea Urbe vixit. Sed anno 1643. dum in diversorio eubaret, de ventris dolore vehementissimo conquestus, dum uxor caponis; linreaminibus calefactis, ventrem fovebat, puellam peperit; & ex hac causa postea carceratus, ex negligentia deferendi iuramentum, vel injungendi pœnam ob abusum alterius sexus; impunitus evasit tantummodo exiliu, pœna multatus. Sed factoribus rixarum causam secundam reliquit: quia dum in causa probaretur quod auctor partus cerdo fuerat, in proverbium abiit *Sartores à cordonibus imprægnari* Quod discordiis non modicis animum præbuit, ex quibus vulnera, & necesse dimanarunt: & ego jam ad munera criminalia promotus, causam, vel causas judicavi.

Ex

19 Ex his clarissime resultat, quod hermaphroditum validè contrahunt matrimonia sub specie sexus in quo unumquodque incalciscit, & si adhibitis peritis in utroque æqualiter polentes reperiantur, electio sexus eis conceditur, ut probat Glossa in dicto capite si teste, Paragraph. Hermaphroditus. Bartolus, Hostiensis, Corradus, Farinacius, Carranza, Lara, Torreblanca, Henriquez, Ugolinus, Guierrez, Sanchez, Bonacina, Barbosa, Castro Palao, Trullench. & ceteri laudati supra numero decimo. Quibus addendus Pater Martinus Perez ab Unona Valentinus, Societatis Jesu, tractatu de matrimonio disputatione trigesima septima, sectione decima tertia, numero tertio, cum sequentibus; qui omnes docent, quod parochus interventionem præstare non debet; quin Episcopus consularatur, ut coram eo jurandum exigatur, ne imposterum altero sexu abuti possit. Quod in nostra specie minimè factum fuit, quia tempore contractus ignorabatur à Parochio, quod essent hermaphroditus, & illi dum contraherent, hanc qualitatem occultaverunt, absque dolo, ut supponebatur.

20 Quibus suppositis, ut jam ad questionem propositam perveniamus, dicendum est, quod licet plures tenuerint pœnam capitalem incurrere hermaphroditum utroque sexu utentem, similis traditio adeo incerta est, ut improbabilem de jure crediderim. Origo ipsius deducitur ab his quæ Pierius Valerianus dixit dicto libro decimo octavo, hieroglyphic. pagina centesima octogesima quinta, vers. at etiam, ibi: ne apud solos Lucentes hermaphroditum annalium commentator Fenesella, severèque lege cantum, ut quem malini sexum elegant: altero si abutantur capitali supplicio puniendi. Et cum nullam aliam legem adducant, Pireus dicto libro quarto, capite quarto, Liebaultius dicto libro tertio, capite decimo quinto, Bauhinus dicto libro primo, capite quarto, Aldrovandus dicta pagina quadragesima prima ad finem, Zacchias dicta questione octava, numero trigesimo secundo, Basiliius Ponçe de matrimonio, libro septimo, capite sexagesimo quinto, num. octavo, Martinus Perez dicta sectione decima tertia, numero secundo, & Torreblanca de ma-

gia, dicto capite decimo septimo, numero octavo, & de jure spirituali, dicto capite nono, numero decimo tertio, de allegata per Pierium intelligendi sunt. Sed quæ sit lex ista, quibus verbis concepta, & à quo Legislatore promulgata, nullus ex his quos viderim tradidit. Et ut plurimum Alphonsus Carranza, dicto tract. de partu, capite decimo septimo, numero sexagesimo octavo, sic dicit, in hoc severa lege antiquitus cautum erat, ut notat Pierius Valerianus post alios, ut quem malini sexum elegant, altero si abutantur capitali pœna plerendos. Ex quibus verbis inferitur clarè, non de lege juris civilis loqui, sed de alia cujus auctoritas incerta, & vaga, sicut & Legislator incognitus est. In nostro ergo jure, non reperitur, lex aliqua per quam similis pœna, vel alia quævis hermaphroditis utroque sexu utentibus, imponatur. Imò neque reperiri potest, vel rogari per Romanos fuit necessarium. Quia Antiqui superstitionibus addicti quemcumque hermaphroditum cognoscerent, vel infantem, in mari, vel flumine protinus demergebant; quia inter portenta mali omnis eos connumerabant Aruspices, & non patiebantur vivere. Sic Livius libro tertio, decad. prima, & libro nono, decad. quarta, Plinius libro septimo, capite tertio, & quarto, Gellius libro nono, capite quarto, Julius Obsequ. in libro de prodig. plurib. in cap. Bauhin dicto libro primo, capite trigesimo quinto, Petr. Greg. libro septimo syntagm. capite secundo, numero decimo, Aldrovandus dicto capite quinto, pagina 513. vers. ex Julio Obsequente & Carranza dicto capite decimo septimo, n. sexagesimo nono. Cujus acerbatis origo referenda est ad legem decimam octavam Romuli, cujus verba sunt, *Monstrosos partus sine fraude cedunt*. Hujus legis Aruspices executores severissimi, eos in mari abijci curabant, ut tradit Baldvinus, ibidem n. 11. sed re vera monstrorum partus non sunt absolute, Text. in leg. non sunt. 14. de stat. hom. notat Zacchias d. q. 8. n. 11. Hæc acerbatis correctæ colligitur ex d. l. queritur & aliis adductis sup. n. 11. Nam si sexus in quo prævalebant habebatur ratio, non ex solo peccato nascendi morti tradebantur, ut antiquitus fiebat, dum in testes admitti, & posthumos institui posse; si in masculino sexu prævaleant, dicitur

Tamen

Tamen Constantinus Imperator de vita tolli omnes hermaphroditas constitutione speciali sanxit, ut refert Eusebius Pamphilius in ejus vita, libro quarto, & eo relato Baubinus dicto libro primo, capite trigesimo septimo, & ex nostri juris interpretibus Petrus Greg. dict. capite secundo, numero undecimo, Facinus quidem indignum viro Christiano, nisi referamus ad ea quæ de hermaphroditis dixerunt Plinius libro septimo naturalis historia, capite tertio, & Rhennanus libro septimo de prodigiis part. capite tertio, nempe eosdem quos inter prodigia olim habebant, jam in deliciis haberi, quæ refert Carranza dicto numero sexagesimo nono. Potuit namque adeo turpitudine Romanorum extendi, ut justa esset similis severitas. Si enim, apud Romanos ex solo vitio nascendi, hermaphroditis capite pledebantur, non fuit necessaria lex, qua pœna aliqua pleterentur, ex abusu alicujus sexus.

28 Ex jure Canonico allegari solent Textus in capite Presbytero 38. 16. questione 1. & capite diversis de Clerico conjug. Sed eis inspectis nihil de hermaphroditis, aut pœna illorum reperitur. Nam in dicto capite Presbyteros, Summus Pontifex Gregorius III. Maximiano Episcopo Siracusano, rescriptis, ne permitteret Presbyteris, Abbatibus Officium per Monasteria exercere, ea superaddita ratione: Satis enim incongruum est, si cum unum ex his præ sui magnitudine diligenter quis non possit explorare, ad utrumque judicetur idoneus. Quæ ratio confirmari poterat ex capite Sanctorum 70. distinction. quo cavetur ne aliquis ad duas Ecclesias titulares simul promoveatur, ibi: Omnino autem in duabus aliquem titulari non licet: idem cavetur in capite singula 69. distinction. ibi: singula Ecclesiastici juris officia, singulis quibusque personis, singulatim committi jubemus.

30 In dicto capite diversis, de Clerico conjug. Innocentius Tertius tractat de Clericis, qui dum beneficia Ecclesiastica obtinebant, matrimonium contraxerunt: & Episcopo Norvicensi mandat quod beneficiis similes Clericos privet, ea addita ratione, quia in eorum conversatione cithara cum psalterio male concordat. Nempe vitæ secularis alacritas, cum vitæ Ecclesiasticæ gravitate, ut exponit Glossa ibid. Ex his ergo

juribus nihil de hermaphroditis sexum eligente, & in alio abusu patente, dicitur: nihil de pœna capitali similia committenti indicta, legitur. Et ut plurimum argumentum defumi potest ad probandum incongruum esse, quod una, & eadem persona utroque sexu utatur ad venereas voluptates; sicut incongruum est quod idem sit Clericus, & Abbas ut obtineat duas Ecclesias: aut malè concordare, quod quis agat, ut vir, & patiat ut scemina, sicut male concordat quod conjugatus beneficia possideat Ecclesiastica, quos nos fatemur, & latius prosequitur Lara dicto capite undecimo, numero vigesimo cum seq. Sed absit quod ex eo inferamus pœnam capitalem imponendam esse. Quando regula ab his juribus depropra, per quam dicimus incongruum esse quod quis eodem tempore duplici officio, vel ministerio fungatur, plures limitationes, sive fallentias admittit, ut docet Glossa in dicto capite singula. Quia licet difficile sit, ut unus homo duorum vicem sustineat, ut ait Paulus in lege si plures nona, Digest. de pact. cordatè dixit quod est, Difficile, non autem impossibile, quia sepius in jure contingit, quod unus diversis rationibus, diversas personas representet. Melior ad rem Textus adduci poterat in lege consulta 23. Codice de testament. ibi: Absurdum est namque, si promissis actibus, rerum turbentur officia. Absurdum dixit Imperator, non crimen; quia pluries id evenire conspiciamus adhuc in politicis de quibus Textus loquitur. Nam aliquando vidimus ex speciali ratione id necessarium fieri. Ut in specie Textus in capite illud 6. 21. questione 1. Quo Beatus Gregorius Cardinalem Terracinensem creavit, ita ut Fundensis Ecclesiæ Pontifex esse non desineret. Necessitate namque exigente, à regulis ordinariis deviare debemus capite ad 34 limina 7. 30. questione 1. ibi: inculpabile iudicandum quod necessitas intulit. Ex eadem ratione, diversarum Ecclesiarum unionem fieri videmus, capite nono, tertio, §. Sed & hoc 10. questione tertia. Et actio, & passio in eodem subiecto simul concurrunt; nam sibi ipsi quis potest tradere possessionem Textus in leg. sstulas, septuagesima octava, §. fundum, Digest. de contrahend. emptio. ibi:

ibi: tradere te tibi possessionem hoc modo posse. Tum etiam utilitatis causa Textus in capite. & temporis 48. 16. questione prima: Vel temporis, ut in lege prima, §. 4. ff. de stipulat. verbor. ibi: communis servus duorum servorum personam sustinet, lege debitor. 54. §. fin. Digest. ad Trebell. ibi: quia non quasi hæres, sed quasi mater ex pacto accepit. Melior Textus in lege si consul. 3. Digest. de adopt. ibi: si consul vel Præses filiusfamilias sit, posse cum apud semetipsum, vel emancipari, vel in adoptionem dari, constat. De quo videndi Pinellus in lege prima, parte tertia, numero septuagesimo tertio, de bon. mater. Antonius Gomez. in lege tertia Tauri, numero octogesimo, Dominus Covarruvias libro tertio variarum, capite tertio, numero sexto, Franquif. decisione centesima vigesima octava, per totam, Gratianus disceptation. centesima sexta, ex numero primo, Riccius collectan. decisione sexcentesima septuagesima quarta, Roman. consil. quadringentesimo vigesimo secundo, numero primo, Antonius Faber in Codice libro primo, titulo secundo diffinit. decima tertia, Menochius consil. quinquagesimo primo, & quinquagesimo secundo, & consil. nongentesimo secundo, Valdes de dignitat. Reg. capite secundo, numero vigesimo sexto, Becci. consilio trigesimo sexto, per totum, Andreas Gail. de arrog. Roman. Imper. capite sexto, numero decimo quarto. Lara dicto capite undecimo, numero vigesimo quinto, cum sequentibus, qui licet contrarium tenuerit, numero trigesimo primo, cum sequentibus, decipitur, meo quidem iudicio, dum confundit contraria cum diversis. Actio namque, & passio concurrere non possunt, sed ut Philosophi explicant, intelligendum est ejusdem de eodem. Sic enim natura dispensat, ut una eademque persona vir, & scemina sit; non frustra potentiam duplicem concedit, ita ut agere possit tanquam vir, & pati tanquam scemina, absque repugnantia ex parte naturæ, & sic usus hujus potentie in crimen imputari non potest. Imò licet Aristotel. libro primo, de gener. animal. capite vigesimo, dicat: at scemina, quæ scemina patiens est; mas, quæ mas agens, & movendi principium est. Tamen plures nostri temporis Philosophi tenent, quod scemina concurrat activè ad generationem proles, ita ut illa sola in actuali generatione immediatè activè operetur. Sic Petrus Hurtado de gene. D. D. Laur. Matheu, de Re Crim. Pars I.

rat. disputatione secunda, sectione sexta, §. septuagesimo secundo. Quo posito cessat incompatibilitas actionis, & passionis, vel saltem ratio imponendæ pœnæ, cum in eis qui hermaphroditis non sunt actio & passio experiatur absque pœna, si enim tot de causis actio, & passio permittitur ex sola consideratione necessitatis, utilitatis, vel temporis, quæ accidentaliter eveniunt; quantum magis dum natura ipsa concedit in duplicato sexu facultatem agendi, & patiendi? jura namque naturæ nullius juris positivi vinculo subiciuntur, §. sed & naturalia institut. de jure natural. leg. jura, 8. digest. de regul. jur. ubi Petr. Faber numero 6. cum seq.

Sed dices Doctores memorati, numero vigesimo secundo, non indicunt pœnam capitalem ex solo abusu alterius sexus, sed ratione perjury, & quia contra naturam peccat hermaphroditis, qui utroque sexu utitur in Venereis, cum ipsa natura hoc detestari videret, ita ut species Sodomix censetur. Sed si æqua trutina omnia pensemus, imbecillitas hujus argumenti apparebit. Quoad perjuryum fateor libenter, quod si hermaphroditis juraverit se altero sexu non uti, pœna perjuryi si utatur, tenebitur. At hæc de jure civili non est capitalis, sed mitior. Textus in lege duo patroni decima tertia, si quis juraverit, lege in duobus vigesima octava, §. final. Digest. de jur. jura. lege nam sufficit vigesima secunda, Digest. de dolo. Sic de jure Hispano lege secunda, titulo sexto, lege decima, titulo decimo nono, libro octavo Ordin. lege secunda titulo decimo septimo, libro octavo, recopilation. Imò de jure Codicis, & Partitarum soli Deo ultio relinquebatur, lege secunda, Codice de rebus credit. lege vigesima sexta, titulo undecimo, partit. tertia. De quo videndi Cujac. libro secundo observ. capite decimo nono, Julius Clarus, §. perjuryum numero undecimo, Tiberius Decianus libro sexto tractat. crimin. capite septimo, ex numero primo, Antonius Matthæus dicto libro quadragesimo septimo, Digest. titulo ultimo, capite primo in princip. Carpzovius in præf. parte prima, questione quadragesima sexta, numero quarto, cum sequentibus. Ex nostratibus Dominus Gregorius Lopez, Didacus Perez & Azeved. in diatis juribus, Dominus Covarruvias in capite quamvis pactum, parte prima, capite septimo

mo in princip. Don Joan. Vela de delict. prima parte, capite 78. numero 33. cum sequentibus.

43 De iure Pontificio nulla poena sanguinis imposita reperitur. Et in crimine perjurii extraordinaria imposita est. Textus in capite fin. 22. questione prima, capite animadvertendum, §. cum ergo 22. questione secunda, capite si quis convictus, capite querelam de iurejurand. Dominus Covarruvias dicto §. septimo, numero tertio, Vela dicto capite vigesimo octavo, numero vigesimo octavo, pluribus Barbosa in collect. dictor. jur. Quibus positus non miror quod; Bauhinus, & ceteri Me-

44 dici, aut Theologi; qui iuris scientiam non gustarunt in his turpiter errant. De Paulo Zacchia, Torreblanca, Basilio, & aliis juris nostri professoribus merito mirari debemus, quod in re tam gravi, ea quae de iure procedunt, non scrutaverint. Neque relevat quod subiungit Carrança dicto numero sexagesimo nono, ibi: nam in lege catholica tale quid patrans reatus aeterni poenam incurrun. Quia in foro interiori, quicumque Venerem exercet extra matrimonium, eandem poenam incurere notissimum est. Quoad forum verò judicialem delictum punibile hermaphroditus non committit, nisi iuramento adstringatur, & ratione perjurii puniendus veniat, sed extra ordinem, ut dixi.

45 Neque ea quae adduntur de peccato contra naturam sustineti valent; quia ad hoc ut simile peccatum committatur inter homines, requiritur quod emissio feminis fiat eo modo quo generatio sequi non possit. Natura namque per libidinis usum intendit propagationem, & sic dum perficitur extra vas generationi naturale, contra naturam fit. Hoc est perdere sexum locum suum, ut dixit eleganter Imperator ibi: in l. cum vir 30. C. ad l. Jul. de adult. ibi: ubi sexus perdidit locum; ubi Venus mutatur in alteram formam. Quando duo hermaphroditi utroque sexu potentes, promiscue eis utuntur, neque extra vas naturale operantur, neque finis naturae defrustratur, cum verè generare possint, sicut isti de quibus loquimur generarunt; neque sexus perdit locum, quia libido exercetur per instrumenta ad hoc procreata, neque Venus mutatur in alteram formam, quia realis viri, & feminae conjunctio fit respectivè, ad bonum prolis, & ad effe-

ctivam generationem omnia ordinantur. Et sic nullum nefandi criminis vestigium reperitur; ipsa natura ordinante; dum absque incompatibilitate actionis & passionis unicuique duo membra genitalia concessit; alterum viri ut agat, alterum feminae ut patiat. Membra enim propriè dicuntur ea quae per se habent aliquod officium separatum, ut docet Bartol. in lege secunda, digest. de publ. iud. ubi communiter Doctores & Baldus in lege data opera, Cod. qui accu. non poss. ex Canonistis Abbas in capite accusasti de accusat. Ex Philosophis Aristotel. libro primo de part. animal. capite quinto, ibi: Non enim sectio, ferre gratia facta est, sed ferre sectionis gratia, cum sectio quadam usio sit. Quapropter anima gratia corpori conditum est, & membrum officiorum gratia constant, & numerum ad quae singula accommodantur: usus enim membrorum à natura concessorum, non potest nemini in eum finem ad quem natura produxit.

Neque ex decisione Textus in lege 47 fœdissimam vigesima, Codice eodem titulo, quam vulgariter interpretantur de femina agente tanquam vir, sicut dicta lege cum vir, de mare patiente tanquam femina. Aliqui credunt hunc Textum intelligendum de femina incuba, cum viro succubo agente, per vas tamen naturale, quod significare videntur Farinacius questione centesima quadragesima octava, numero quadragesimo tertio, & Zacchias dicta questione octava, numero vigesimo quinto. Sed hæc opinio prorsus rejicienda est, quia licet hoc laudabile non sit, crimen non est, imò & culpa caret, ut probat Sanchez de matrimonio libro nono, disputatione decima sexta, numero tertio. Alii interpretantur de Tribada, nempe femina quae tanquam mas in alia femina Venerem explet, sive id fiat fricatione, sive clitoride, sive alio materiali instrumento, de quo Gloss. in dicta lege fœdissimam, Julius Clatus in §. fornicatio, num. vigesimo quinto, Antonius Gomez in dicta lege octogesima Taur. num. trigesimo quarto, Farinacius dicta questione centesima quadragesima octava, numero trigesimo quinto, & quadragesimo, Tiraquellus ad legem nonam connubial. numero centesimo septimo Zacchias dicta questione octava, nume-

numero vigesimo quarto, vers. tritum, Petrus Gregorius libro trigesimo sexto, syn-tagm. capite decimo quarto, numero secundo, Antonius Matthæus libro quadragesimo octavo, ff. tit. tertio, capite sexto, numero octavo, aliis relatis Carpzovius parte secunda, pract. crimin. questione septingentesima sexta, numero decimo septimo, in quo distinguendum puto; nam si femina clitoridem naturaliter aptum ad generandum habuerit, ut possibile supponit Zacchias ubi proximè ex Petro Hurtado, & Garcia, cum ad generationem ordinetur non esse crimen crediderim. Si fricatione extra ordinem punianda est, si cum instrumento ligneo, vel vitreo poena capitali ex doctrina Antonii Gomezii, quem ferè omnes sequuntur, licet Antonius Matthæus absolute poena ordinaria teneri dixerit, & perperam juxta tradita per Perrum Caballum casu decimo nono per totum. De hac autem ultima specie Textum interpretatur Dionysius Gothofredus in eadem leg. fœdissimam. Sed quanquam doctrinam superiorem, adhibita relata distinctione probem, non tamen interpretationem dict. Text. quia verba ejus non congruunt mulieri agenti, sed patienti fœdissimam Venerem. Nam Imperatores Diocletianus & Maximianus, sic dicunt, Fœdissimam eorum nequitiam qua pudorem suum alienis libidinibus prosterunt, loquuntur, namque de feminis pudorem suum prostermentibus, hoc est prostituentibus, ut in lege palam, Digest. de rit. nupt. vel subjicientibus, ut in cap. veniens, de accusat. quae omnia patientis sunt, non agentis, & sic potius referretur ad meretrices, vel feminas plurimorum stupra patientes, ut Dionysius Gothofredus in eodem Textu interpretatur, vel ad ea quae de effrenata libidine Tiberii refert Tacit. libro sexto, ann. in princip. ibi: saepe in propinqua digressus, aditis juxta Tiberim hortis, saxa rursus, & solitudinem maris repetiit, pudore scelerum, & libidinum: quibus adeo indomitis exarserat, ut more regio, pubem ingenuam stupris polluerat, nec formam tantum, & decora corpora, sed in his modestam pueritiam, in aliis imaginem majorum, incitamentum cupidinis habebat, unquam primum ignota antea vocabula reperita sunt sellariorum, & spintriarum, ex fœditate loci, ac multiplici patientia. Quae larius prosequitur Suetonius in ejus vita, D. D. Laur. Matthæus, de Re Crim. Pars I.

capite quadragesimo tertio, & ad rem capite quadragesimo quinto, ibi: Feminarum quoque, & quidem illustrium, capibus quantum solitus sit illudere, evidentissimè apparuit. Mallonia cujusdam exitu: quam perductam, nec quidquam amplius pati constantissimè recusantem, delatoribus objecit: ac ne ream quidem interpellare desistit. Ecquid paniteret; donec, ea relicto iudicio, domum se arripuit, ferroque transegit, obscenitate oris hirsuto, atque olido senclarè exprobrata. Quilibet modus delinquendi ex his sumatur, hermaphroditus altero sexu utenti non congruit; quia Venerem exercet per membrum destinatum ad generandum: & sic ex dicta lege fœdissimam, nihil inferri potest ad poenam eidem imponendam. Licet verum sit quod si hermaphroditus imperfectus, data opera aburatur membro ad generationem notoriè invalido, lato modo dici potest quod peccat contra naturam: quia utitur instrumento inepto ad bonum prolis. Sed hoc casu, poena extraordinaria puniri debet, ut in similibus probat doctè Caballus dicto casu decimo nono, quem sequitur Farinacius dicta quest. 148. num. 64. & ferè omnes.

Ex his liquet quòd omnis coitus ex 50 quo generatio sequi potest, licet peccatum, sit in foro conscientiae, excepto matrimoniali; in foro exteriori crimen punibile non est, nisi concurrat qualitas per quam crimen fiat, ut sacrilegium, raptus, stuprum, adulterium, incestus, violentia, & similia, ut resultat ex traditis per Paulum Grillandum in tractatu de pen. omnifar. coitus, Antonius Gomez in dicta lege octogesima Taur. Julius Clarus in §. fornicatio, Farinacius in plenissimo tractatu de delict. carn. Don Joan. Vela de delict. prima parte, capite primo, vigesimo nono, & trigesimo tertio, Pichardus in manu duct. ad prax. parte tertia, §. quarto, numero vigesimo secundo, cum sequentibus, Antonius Matthæus dicto libro quadragesimo octavo, Digest. titulo tertio; Berlichius quarta parte, questione vigesima septima, per plures sequentes, Carpzovius in pract. parte secunda, questione quinquagesima prima, usque ad septingentesimam sextam, quidam crimina ex libidine procedentia accuratè pertractant ex professo, de hermaphroditis utroque sexu utente nihil scriptum reliquerunt, li-